



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

VII. Temporis diligentem habeat rationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

siue auditum. Corpori verò tria hæc:
alimentum necessarium, disciplina,
& laborem moderatum.

DOCUMENTVM VII.

Religioso diligentissimam esse habendam temporis rationem.

CVM homo in tota hac mundi vniuersitate nihil pretiosius habeat tempore, quod ei, teste S. Bernardo concessum est ab omnipotente Deo, quatuor potissimū ob fines, nimirum, *ad agendam pœnitentiam, De interio. domo ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam.* cumque illud venti instar rapidissimo cursu, nobis minime aduertentibus præteruolit, oportet Religiosum quemque sollicitum ac prouidum esse, ut tempus acceptum non modò non otiosè & inutiliter transigat, sed unicuique rei suum tempus accommodare nouerit, adeoque sibi metipso ordinem quendam præfinit, quibus potissimum in actionibus singulas diei horas impensurus sit: communicato super hac re consilio cum Superiore aut Patre suo spiritali,

cap. 35.

rituali, vt maiori in actionibus suis conscientia tranquillitate fruatur. Apud veteres olim Patres recepta erat temporis distributio, quæ hisce versibus continetur.

*Nunc lege, nunc ora, nunc cum seruore labora,
Sic erit hora breuis, & labor ipse leuis.*

DOCUMENTVM VIII.

A quibus sibi cauere debeat Religiosus

Religioso hæc maximè cauenda sunt.

I. Tristitia, & omnis inquietudo siue turbatio spiritus quacunque ex causa. Etenim hæc bonarum actionum hostis & omnium penè tentationum mater est. Contra potius omni studio cõtendet, vt animum semper in Domino hilarem habeat, ad quod eum veteris & noui instrumenti paginae identidem adhortantur. Idem præceptum sanctissimi Religionum Patriarchæ S. Antonius & S. Franciscus, alijque SS. Patres discipulis